

Th. V. De rebus autem occupationem recipien-
tibus hic quæritur, an indifferenter omnes, quæ alias
nullius sunt, occupari possint? quod negamus & dicimus
eas tantum occupari posse, quæ ita nullius sunt, ut ta-
men suâ naturâ alicujus fieri possint. Unde patet, res
sacras, religiosas & sanctas, utut dicantur nullius, occu-
pari tamen non posse, quia nullius fieri possunt & divi-
ni juris sunt. §. 7. *Inst. de rer. divis.* hæc autem de occu-
patione simpliciter sic dicta dixerim. Alia tamen &
specialis ratio est earum rerum, quæ ab hostibus appre-
henduntur; hæ enim indistinctæ omnes quin hostibus
eas apprehendentibus cedant, ob specialem belli sc. ra-
tionem, nemo dubitat. Cæterum nihil interest, an res
illæ, quæ Occupationi subjacent, animatæ sint & vi ca-
pantur, uti sunt (1) feræ bestiæ, pisces, aves, §. 12. *Inst.*
de rer. divis. unde descendit Jus venandi, piscandi, au-
cupandi: Vel (2) Personæ & res in bello captæ. §. 17. *Inst.*
eod. unde occupatio seu deprædatio bellica: an vero sint
inanimatæ & sine vi capiantur, ut lapilli, gemmæ & quæ
sunt aliæ §. 18. *Inst. eod.* Undè inventio dicitur. Neque
etiam inter mobiles & immobiles hîc distinguimus. De
quibus omnibus & singulis, quid jure naturali, & civili,
ut & moribus obtineat, infra speciatim monebimus.

CAPUT SECUNDUM.

De Occupatione in specie

nimirum

De Captura s. Venatione.

Th. I.

ITaque propriè loquendo Captura seu venatio in gene-
re considerata est, per quam acquisita animalia jure
gen-